



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||
LAVRETANAE HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

Torsellini, Orazio

Romae, 1597

Cap.18. Recinetenses templum S. Domui circu[n]dant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

Carique locis diuersa foret, ritulosque referret,

Ultima Piceni nomina gentis habet.

Neue sequens aetas mendacia credat, Olympi

Hac in nocte illam lambit ab axe inbar.

*Laureto pago legibus temperato, Recinetenses tem-
plum sacrae Domui circundant. Cap. XVIII.*

*Bapt. Man.
Hier. Ang.*

*Lauretanis
Praeses da-
tur.*

CAelestibus hisce prodigijs acti Recinetenses ad Lau-
retanam Aedem summa ope tuendam, ornandam-
que omnes intendere curas. Iam Lauretanus pagus, mul-
tis undique bo, seu Virginis, seu commercij studio com-
migrantibus, magis ac magis frequentabatur in dies. Ig-
tur commodissimum rati, incolas vnum in locum congre-
gatos legum institutorumque societate adstringere, iura
pariter eis, & Praesidem dant, qui praesit iuri dicundo. Re-
bus intra pagum compositis, foras versa sunt cura. Egen-
tes, ac facinorosi homines, siue praedandi occasione, seu
praeda dulcedine illecti peregrinos in saltibus circumie-
ctisque militari via nemoribus, palantes, ac vagos adori
spoliabant. Eares ad Recinetensium dignitatem, exi-
stimationemque pertinere vtili. Itaque Praetori ciuitatis
negotium datum, ut aucto satellitum numero, itinera
quae ad Lauretanam Aedem ferrent, a latrocinijs tuta
praestaret. Consilium ut pius, ita felix fuit. Praetor ab-
strusissimas sylvarum latebras solerrime rimatus, gras-
fatoribus extremo supplicio affectis, breui summa cum lau-
de omnem repurgauit regionem. Et Praetoris laus in ci-
uitatem, a qua constitutus Praetor fuerat, redundauit. Ex
eo Recinetensi ciuitati Iustissima cognomen inditum. No-
ua subinde illorum temporum calamitas, sacrorumque in-
curia pietatem Recinetensium fecit illustrem. Interim du
haec in Piceno aguntur, Clemens V. Pont. Max. tertius a
Bonifacio (Benedictus enim XI. Bonifacij successor pau-
corum

corum mensium Pontifex fuit. Pontificiam sedem anno eius saculi quinto transtulerat in Galliam, ingenti cum detrimento Italiae, Christianaeque Reipublicae pene vniuersae. Id adeo fortuitum Lateranensis basilicae incendiū per id tempus portendere Vrbi visum. Nam Clemente Rom. Pont. Lugduni nouam statuente sedem, Romae Lateranensis basilica, antiqua sedes Romanorum Pontificum (incertum fraude hominum, an casu) deflagrauit. Nec multo melior Italiae conditio fuit, aut Ioanne XXII. qui Clementi subrogatus Pontificiam Auentone constituit sedem; aut Benedicto XII. ceterisque Romanis Pontificibus, qui Ioannis exemplo deinceps Auentone sederunt. At Recinerensium in nouo templo condendo religio enituit, iniquissimo vel Christianae Reipublicae, vel suo tempore. Nuper quippe, hoc est anno M. CCC. XXII. Recinetum iussu Ioannis XXII. quod à Pontifice desciuisset, excisum fuerat; ciuesque alio commigrare iussi. Rebus ergo cum Pontifice compositis, oppidoque in noua sede, vbi nunc est, condito, vel ob direptionem Urbis, vel ob nouarum aedium aedificationem, omnibus ferme erant rebus exhausti. Tamen B. Mariae Patronae suae religione stimulante, templum Lauretano sacello circundare moliebantur. Namque crescente in dies aduenarum, donorumque copia, cum peregrinos vortinasque eorum imagines, ac tabellas adiunctae porticus haud quaquam caperent; Episcopus Maceratenensis, in cuius dicecesi Recinetum erat, summa Recinerensium approbatione aedificando circa sacellum templo adiecerat animum. Igitur magnum circumiacentis agri spatium ad eam rem facile impetratum: disturbatisque porticibus, templum aere publico à fundamentis exstructum est, humile illud quidem pro magnitudine; sed tamen satis amplum, capaxque. Adiectae templo ampliores aedes Sacerdotum, ministrorumque habitationi, & nobilium aduenarum hospicio destinatae. Quibus deinde diuersorum pauperum peregrinorum accessit.

Pontificia
sedes trans-
fertur in
Galliam.

S. Anon. de
3. Platin.
Clem. V.

Biblioth.
Ludol. III.

Io. Vill. li. 9.

S. Domui
temp u cir-
cundatur.

NOVA